

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 2388

**Auteur(s) :** Grégoire de Naples, Bayeux (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Le Désert, Sainte-Catherine de La Perrine (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1275, 19 avril

**Lieu d'émission :** Neuilly

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

G[régoire], évêque de Bayeux, fait savoir que, quand Raoul d'Airel a concédé le patronage de l'église d'Airel et la dîme de sa paroisse au prieuré de La Perrine,

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Prieuré de La Perrine, n° XXVIII, p. 22-23.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis G., permissione divina, Baiocensis ecclesie minister humilis salutem in domino. Noverint universi quod cum quondam Radulfus de Arelo, rector ecclesie de Arelo et heres Nicholai de Arelo, militis, qui habebat feodum de Arelo quod tenebatur et adhuc tenetur ab episcopo Baiocensi concessisset, in perpetuam et puram elemosinam, ministro et fratribus domus Sancte Katherine de Perrina, Ordinis Sancte Trinitatis et Captivorum, Constanciensis dyocesis jus, patronatus prefate ecclesie de Arelo et decimas quas in parrochia de Arelo jure hereditario possidebat, salvo tamen in omnibus jure domini capitalis, que erant de feodo predicto, bone memorie O. episcopus Baiocensis, predecessor noster, prefatum jus patronatus et decimas ad suum jus et proprietatem et episcopatus Baiocensis ecclesie revocavit, pro eo quod jus patronatus et decime supradicte collate et alienate fuerant absque suo vel alterius superioris assensu qui collationem et alienationem predictas suo consensu ratificare potuerit vel etiam confirmare. Tandem prefatus episcopus, dictorum ministri et fratrum compaciens paupertati, prefatas decimas concessit ministro et fratribus supradictis, jure patronatus ecclesie prefate retento sibi et successoribus suis episcopis Baiocensibus in futurum, et nichilominus dicti minister et fratres memorato episcopo, pro se et successoribus suis, prefatum jus patronatus et omne jus quod eis in dicto jure patronatus ex collatione sepedicti Radulfi fuerat acquisitum contulerunt et in perpetuum concesserunt. Nos etiam dictis ministro et fratribus quos paupertate multa novimus laborare paterno compacientes affectu collationem prefati predecessoris nostri de predictis decimis ratam et gratam habemus et dictas decimas eis de novo concedimus ex gratia speciali, prefatum jus patronatus tam jure nostro quam etiam ex collatione predictorum ministri et fratrum nobis et successoribus nostris episcopis Baiocensibus in perpetuum retinentes. In cuius rei testimonium et munimentum presentem cartam concessimus predictis ministro et fratribus nostri et capituli Baiocensis sigillorum munimine

roboratam. Valete. Datum apud Nuilleum, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, die veneris post Resurrectionem Domini.